

XII. Corpora Mundana mobilia sunt: I. Sol, omnium rerum Mundanorum inq̄ rerum naturâ existentium ac visibilium pulcherrimum, præstantissimum atq̄, utilissimum, omniumq̄ aliorum in Cælo seu Mundano spherico existentium corporum antesignanus, rex, dux, phæbus atq̄, Coryphæus. Totiusq̄, deniq̄, cæli ac vniuersi Mundi præeminens atq̄, præclarissimum decus: qui annui temporis spatio suam reuolutionem conficit atq̄, absoluit, inq̄ diebus $365\frac{27}{400}$. suam perlustrat atq̄, peragrat periodum.

2. Luna, quæ spongiosa fibrisq̄, coherens & condensata nobis apparet: cuius effectus. (Cum scilicet omnium sit infima, ideoq̄, & terra proxima) in fluxu atq̄, refluxu marium, inq̄, perpetuâ reciprocatione Oceani, ac deniq̄, in omnibus humi mariq̄, nascētibus mirabiles quotidie videmus atq̄, experimur: de cuius motu ac reuolutionibus paulò post. Prætereaq̄, mobilia corpora visuntur quinq̄, stellæ, quorum nomina:

3. Saturnus, stella lurida, omniumq̄, mobilium corporum vt summum atq̄, altissimum, atq̄, terreno globo remotissimum, ideoq̄, è contrariò stellis fixis proximum, ita & omnium suo motu tardissimum spectatur.

4. Iupiter, stella lucida, atq̄, stellæ Saturni proxima.

5. Mars stella rutila, soli proxima, interq̄, solem & Iouem collocata. Atq̄, hæ tres stella tum solem in medio ferè positum, tum terrenum globum, nunc illi vicinior, nunc ab eodem remotior, ambiunt, terræq̄, proxima, perigææ: ab ipsâ verò remotissima, apogææ dicuntur: vt & due ex ordine sequentes reliquæ, non terram quidem, sed solem equè ac reliquæ tres, in medio omnium situm, circumuehentes.

6. Venus, stella totius cæli pulcherrima, necstroq̄, conspectui gratissima, maximeq̄, amœna ac placida apparet: à sole vltra 47. gradus Eclipticæ nunquam discedens: eundemq̄, nunc procedit, nunc sequitur: ideoq̄, procedens, Lucifer, subsequens verò, Hesperus dici solet.

7. Mercurius, stella omnium minima, maximeq̄, vagabunda, ita vt ipsius (vt etiam Martis) motus inobseruabilis omninò putatur: ideoq̄, huius & Martis motus nondum satis explorati sunt. semper tamen solem proximè ambiens, eundem tanquàm satelles comitatur, atq̄, ab eo non vltra 27. gradus Eclipticæ, inq̄, neutram partem vltèrius, egreditur.

8. Terra verò, quantum attinet ad loci mutationem, immobilis quidem persistit: quantum verò ad quotidianam circumuolutionem seu diurnam nocturnamq̄, conuersionem, omninò mobilis existit: quotidie enim diurnâ nocturnâq̄, circumagitatione circumrotatur, seu diurni nocturniz temporis spatio, id est, viginti & quatuor horis semel cõuertitur, suamq̄, conuersionem conficit atq̄, absoluit. Ideoq̄, sic diurnâ nocturnâq̄, hac conuersione suâ, quâ nimirum ad solem reuoluitur, naturalem diem, quem Nycthemeron vocamus, describit.

XIII. Dies itaq̄, est spatium temporis, quo terra ad solem reuoluitur. quorum (vti paulò antè dictum est) $365\frac{27}{400}$. annum medium constituunt: in quo nimirum sol ad idem ante annum relictum atq̄, à se egressum punctum reuoluitur: idq̄, aut ad stellam quandam fixam, quod peractæ reuolutionis temporis spatium Annus sidereus appellatur: aut ad certum quoddam punctum Eclipticæ seu orbitæ solis, quod completa atq̄, absolute reuolutionis temporis spatium Annus verus seu Apparens dicitur. Atq̄, hæc duo præcipua mensuræ temporis genera ac spatia sunt. & ad quæ omnia alia tēporis spatia, seu mensuræ temporis genera, vt puta, menses, hebdomades seu septimana, & cætera, sub Astronomicum temporis ac motuum